

1  
20  
31  
2.  
20  
24  
25  
16  
27  
2



1686.

19. Mullerus, Petrus: De iocalibus.

20<sup>a. b.</sup>  
= Mullerus, Petrus: De venatione precaria  
2 Sumpt. 1686: 1743.

21<sup>a. b.</sup>  
2 Mullerus, Petrus: De malo fide supereminente.  
2 Sumpt. 1686: 1714.

22<sup>a. b.</sup>  
7 Mullerus, Petrus: De reorum praerogativa  
in causis civitibus. 2 Sumpt. 1686: 1722.

23<sup>a. b.</sup>  
7 Mullerus, Petrus: De bonis constante matrimonio quacitas.  
2 Sumpt. 1686: 1742.

24<sup>a. b.</sup>  
= Mullerus, Petrus: De pecunia doloris. 2 Sumpt. 1686: 1708

25<sup>a. b.</sup>  
2 Mullerus, Petrus: De iure inventi thesauri. . . .  
2 Sumpt. 1686: 1725.

26. Pott, Johann Henr: Virputatio juridica in iure frequen.  
tissimi brovarchii: dies interpellat pro homine

27. Rolt, Henr. Balth: De emeritis.

28<sup>a. b.</sup>  
2 Sagtharius, Caspar: Historia principum Anhaltinorum.  
2 Sumpt.

1686.

29. Schmi H, J. Leucos: De progression in infinitum.
30. Schroeterus, Christophorus: Quomodo media scientia erivies  
quem involvat.
31. Nevoglius, Philippus: De genio studiorum nostri temporis.
32. Nevoglius, Philippus: De naturali hominum inter se  
amore.
33. Staender, Christophorus: De obligatione possibili ad rem  
impossibilem.
- 34<sup>926</sup> = Hurius, Georg Adam: De subofficialibus. 2 Saecul.  
1686 i 1729.
35. Wedelius, Georgius Wolfgangus, Fac. med. decanus: ad  
dissertationem inaug. Johannis Christophori Schnitleri invitat.
36. Wedelius, Georgius Wolfgangus, Fac. med. decanus: ad  
dissertationem inaug. Christiani Tidorsei Schumannii invitat.
37. Wedelius, Georgius Wolfgangus, Fac. med. decanus: ad Dispu-  
tationem inaug. Johannis Christiani Lammii: invitat.

uices

port.

u

repl.

tel.

X

u



1688

29. J.

30. J.

31. J.

32. J.

33. J.

34. J.

35.

36

37.





*Pra-10, num. 2*

*43*

*8.*  
C. D. *1686, 29*

DE

REORVM  
PRAEROGATIVA  
IN CAUSIS CIVILIBVS,

Oder :

Von dem Vorzug derer Beflagten / vor  
den Kläger / in Bürgerlichen Fällen.

PRAESIDE

*P 468*  
PETRO MVLLERO, JCTO,  
PAND. PROF. PVBL.

AD D. OCTOBRIſ CLO IO CLXXXVI.

PVBLICE DISPVTABIT


JOH. LEONHARDVS *Lohbeck*

VVEIſſENBVRCO - NORICVS.

EDITIO II.

I E N A E,  
TYPIS IOANNIS BERNARDI HELLERI.

CLO IO CC XXII.



C. D.  
DE

MEMORIAL  
FRAGMENTARIA

IN CAUSIS CIVILIBUS

Abh. von Georg Friedrich Meier  
den 17ten Junij 1770

PETRO MULLERO IUSTO

PAND. PROF. PUBL.

Abh. von Johann Gottlob Meier  
1770

JOH. LEONHARDUS ZUGOLD

Abh. von Johann Gottlob Meier  
1770

THOMAS BERNHARDI DEL. ERR.

Abh. von Johann Gottlob Meier  
1770





## PROOEMIUM.



Rincipes personæ, quibus constituitur iudicium, sunt Iudex, Actor & Reus *l. 62. ff. & l. 13. §. 2. C. de Judic. l. 22. C. ad l. Cornel. de fals. c. fraus 10. de V. S. nisi quod moribus hodie receptis, cum ex inquisitione proceditur, videtur consistere iudicium inter iudicem solum & Reum, ubi tamen partes actoris vel potius Accusatoris occupat ipsa fama, seu vox publica, & ipsam, in quod inquiritur, delictum. Plane etiam interdum ex accidenti in causis privatis usu venit, ut iudicium absque actore peragatur; quando videlicet Actor litem coeptam ex contumacia deserit, & iudex post trinam citationem secundum *Nov. 112. c. 3.* factam in causa progreditur, & sententiam pronunciat *conf. l. 27. §. 1. ff. de lib. caus.* Quod Reum attinet, consideratione ad Actorem relata, paulo indulgentius illum in iudicio haberi, & laxiori via & remedio ad sui defensionem, quam ad ejus oppugnationem Actorem admitti volunt, atque sic prærogativam ipsi quandam in disceptatione forensi tribuunt Romani Legumlatores, ut ex fragmentis, quæ nobis reliquit Imperator Justinianus, legenti fit obviam. Cæus sctus in *l. 125. de R. J.* generalius & breviter id completus: *Favorabiliores, inquit, sunt Rei potius quam Actores. Et**

Const. Harmenopulus *lib. 2. Epitom. tit. 1. Σάλλονται μάλλον ἢ γὰρ βοηθῆνται καὶ συγγνωσκῆνται οἱ ἐναγόμενοι, ἢ περὶ οἱ ἐνάγοντες.* Idque non Romanis primo visum, aut solius Romanae νομοθεσίας inventum est, sed tacita ipsius naturæ, tanquam aternæ & immota legis commendatione διὰ τὴν δικαιοσύνην τὴν Φιλανθρωπίαν, ut loquitur Aristides, receptum est. *Naturalis est favor pro laborantibus,* inquit Quintil. *lib. 4. Inst. orat. c. 1.* Areopagitas severos quondam Athenis Judices accepimus consueisse sibi statuere ad dextram, qui rei deferebantur; Accusatores autem ad sinistram: subindicare, credo, volebant, Reos præcipuo favore quodam dignos, adeoque sibi cumprimis curæ futuram eorum causam & salutem. add. Aristoteles, sive quisquis auctor est problematum, quæ Aristoteli tribuuntur, *sect. 29. c. 12.* Vid. Petr. Fab. *adl. 125. d. R. 7.* Hanc Reorum prerogativam uberiori paulo commentatione persequi, & quæ sit, qua in re & quo usque locum habeat, ostendere, quoad quidem ingenii fert imbecillitas, instituimus, definitione *d. legis 125,* excitati: Atque ne justæ Disputationis limites excedamus, intra civile forum, ubi lis de pecunia & interesse privatorum instituitur, hanc nostram considerationem continere visum est:

*Tu vero nostris clemens Deus annue captis!*

CAPVT I.

agit

De Definitione & Divisione

in genere.

SVMMARIA.

*Onomatologia, paucis commendatur n. 1. origo vocabuli prerogativa evolvitur n. 2. & Rei n. 3. hujus descriptio n. 4. itemque synonymia assertur n. 5. Descriptio Prerogativa Reorum n. 6. hujus declaratio n. 7. & divisio n. 8.*

§. I.



Solicite veteris juris Conditores, quos appellare amat Imperator *l. ult. princ. & fin. C. de legg. tractatum de re aliqua susceptri inquisivere in vocis, qua de sermo instituebatur, originem & notationem arg. l. 1. ff. de l. & l. l. 1. de reb. cred. l. 1.*

*§. 1. de tutel. l. 1. §. 1. de testam. mil. l. 1. de furt. & passim.* Et vere Galenus: *τῶν ὀνομάτων περιέργεια μετὰ τῆς τῶν πραγμάτων ἀμελείας ἤρξατο.* Multum in eo momenti situm est, & non infrequenter congrua vocis alicujus notatione provehimur in ipsius rei cognitionem. Nomina enim sunt *ἑγράφα διδασκαλικά καὶ διακριτικά τῆς ἁπλῆς*, uti est apud Platonem in Cratylo dialog. *περὶ τῆς ὀνομάτων ἑθέρησι.*

§. II. Qua re moti non nihil circa vocum præcipuarum, quæ in inscriptione posuimus, evolutionem morabimur. Prærogativa à præ & verbo rogare dicta Ciceroni *epist. 14. ad Q. fratrem*, est ea tribus vel centuria, quæ prima suffragium ferebat, sic dicta, quod prima rogetur, ut ait Afcenius Pædian. quos vellet Consules fieri, eoque nomine prima quoque tribus appellabatur. Porro quoniam prærogativa tanta fuit autoritas, ut eam cætera tribus & centuriæ suis suffragiis plerumque sequerentur, vox ista etiam usurpata *μετρονομικῶς* pro signo futurum quid præfagiente; & ita adhibitam puto Cætoni *epist. ad Cicerv. quæ est in famil. Cicerv. lib. 15. epist. 5.* ubi supplicationem (quæ apud Romanos ob rem bene foris gestam Diis decerni solebat) triumphi prærogativam appellat. Pari sensu Cic. *verrin. ii. Ejusmodi*, inquit, *voluntatis suæ nobis prærogativam dedit.* Usu obtinuit ut prærogativa diceretur prælatio, ut ita dicam, seu prææminentia, jus quoddam præcipuum & singulare. Atque ita Herennio Modestino non contemnendæ autoritatis *Jeto l. 5. C. ad exhib. accipitur in l. 14. de quæstion.* ubi libertatis prærogativa. Ulpiano *in l. 9. §. 3. de jurejur.* ubi prærogativa jurisjurandi dicitur. Imperatori

tori prerogativa gradus §. 3. sub fin. *Inst. de legit. agnat. success. add. l. ult. C. de pact. l. ult. C. de agent. in reb. lib. 12. l. 1. C. de Comm. rerum alien. l. 2. C. de in. int. rest. & alibi passim.*

§. III. *Reus à re*, id est, lite dicitur, & generaliter hac voce veteres utrumque litigantium denotabant, tam creditorem quam debitorem, tam Actorem quam Reum in specie sic dictum. Cic. 2. *de orat. Reos appello quorum res est.* Idem eodem: *Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur.* Gallus Aelius: *Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive egit, sive cum eo actum est.* Et Feflus: *Reus nunc dicitur, qui causam dicit aut quid debet.* Eodem sensu nostris non raro usurpatur, Pomponio l. 5. *pr. vers. conventionales de V. O.* unde passim leges reum credendi, stipulandi, promittendi *l. 1. ff. & C. & Inst. de duob. reis const.* Frequentius eo vocabulo utimur de debitore seu eo, à quo res petitur, sive cum quo agitur, quoniam precipue de re ejus controvertitur.

§. IV. Et ita hic nobis accipitur, & dicitur is quicum agitur, seu qui litem ab Actore illatam excipit & repellit, actorique contra distinguitur, quanquam idem alias & *κατά τὴν* actor dicitur, & agere *l. 1. ff. de excepti.* eo quod vices actoris subit & exitum patitur in probando, & exceptionem suam velut intentionem implendo *l. 9. l. 19. π. de probat. l. C. 1. eod.* quemadmodum è contrario quandoque nomine actionis comprehenditur exceptio, ut in edicto Prætoris *l. 1. §. 4. de dol. mal.* Secus ac in edicto de edendo *l. 1. l. 4. C. de edend. quo refer. l. 8. §. 1. de V. S.*

§. V. Vocatur Imperatori nostro crebro fugiens, aut pars fugiens *Andréas l. 5. C. de rec. arb. l. 2. C. de jurejur. propri. calumn. l. 13. §. 2. C. de Jud. l. ult. §. 3. C. de bon. qua lib. Nov. 53. c. 2.* grecos imitatus, quibus *φύγαν* dicitur. Estque appellatio à re sumpta. Solenne namque reis est, ut Judicem quoquo modo possunt, effugere aut saltem eludere latitando querant, causa suæ diffusi, aut alias anticipi litis eventui  
se &

7.  
se & res suas permittere merentes. Quam in rem Plautus in Mostell. act. 5. sc. 1. Nescis, inquit, quam meretriculosa res sit ire ad iudicem. Cateroquin qui religione quadam, animi morumque modestia ductus lites execratur, hæc ejus verenda cogitatio vituperanda non est, ut fere loquitur Ulpian. l. 4. §. 1. de alien. judic. mut. caus. quod laudat in priscis Atheniensibus Isocrates in suo Areopag. his verbis: εἶτα δ' ἐσυρον τὴν ἀγορὰν, ὡς εἰ καὶ ποτε διελθεῖν ἀναγκαζοῦσιν, μετὰ πολλῆς αἰδῆς καὶ σωφροσύνης ἐφαινοῦντο τὰ τοιαῦτα. Optandum foret, uti par modestia & probitas animi nostræ ætatis hominibus auferat vitiligandi libidinem, qui non verentur per varios & inexplicabiles civitatis modum litium multiplicare, & lites ex litibus serere, ut verum adeo fiat illud Græcorum: διὰ δὲ τὴν εἰλικυρίαν, καὶ ὁ δὲ ὅτι ὁ δὲ ὅτι, quo de jam olim questus est Matth. VVetembecius Germanorum ICtorum Princeps. Obiter addo, quod etiam μετρονομικῶς pro Reo quandoque ponitur custodia, ut in l. 6. pr. ff. de offic. Procons. Solent (Proconfules) custodiarum cognitionem mandare legatis. l. 12. ff. de accus. vid. Turneb. 1. advers. 8. Et hæc de vocabulis inscriptionis posterioribus. Cætera enim ut vulgata & passim obvia præterimus.

§. VI. Est nobis ista Prærogativa Reorum in proposito nihil aliud, quam jus quoddam precipuum & singulare favorabili & æqua quadam indulgentia juris in persona Reorum adversus Actores receptum quo facilius Adversariorum effugiant injurias, & in suo se jure & causa tueantur.

§. VII. Cum enim actor habeat se instar aggressoris, & suo arbitratu, quandoocunque voluerit, adoriri Reum, eumque securum & nihil sibi metuentem machinis suis, quas occulte & velut ex insidiis contra eum sabrefecit, opprimere possit; æquum omnino visum est, Reo, qui in potestate non habet, quando conveniatur, seque vicissim contra actoris insidias armare nequit, pinguitori remedio subvenire, & majorem ejus quam actoris rationem habere. Conf. l. 5. §. fin. ff. de dol.

de dol. mal. except. l. 42. de R. J. l. 6. in fin. C. de temp. in int. rest. quod pulchre docet Antocidis oratio *περὶ τῶν υἱσηρίων: αἰτιμαὶ ὑμᾶς ἢ ἄνδρες, εὐνοίαν πλείω παραχέσθαι ἐμοὶ τοῦ ἀπολογημένου ἢ τοῖς κατηγοροῦσι. εἰδότες ὅτι καὶ ἐξ ἴσθ' ἀνεγῆσθαι, ἀνάγκη τὸν ἀπολογημένον ἑλαττον εἶναι. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν χρεῶν ἐπιβλεῖσσαντες ἢ συνθέντες, αὐτοὶ ἀνευ κινδύνου ὄντες τὴν κατηγορίαν ἐποίησαντο. ἐγὼ δὲ μετὰ δέξας καὶ κινδύνου καὶ διαβολῆς τῆς μεγίστης τὴν ἀπολογίαν ποιῶμαι.* Eikos ἐν ὑμᾶς ὄσιν εὐνοίαν πλείω παραχέσθαι ἐμοὶ ἢ τοῖς κατηγοροῦσι. Junge, quæ habet Aristoteles in problem. sect. 29. n. 13. Eaque ex causa est, quod reo defensio sua seu exceptio ipso jure naturæ tributa nullo temporis lapsu secus ac in actione jus est, auferri potest d. l. 5. §. fin. gloss. in l. 3. verb. persecutionem C. de prescript. 30. vel 40. ann. Et in l. 6. C. de except. ut enim nulla negligentia, in cujus odium præscriptiones potissimum introductæ l. 1. §. fin. C. d. t. de prescript. 30. vel 40. ann. adscribi potest ei, qui non valet agere, l. 1. C. de annal. exc. ita nec ei, qui nequit excipere. Quod uti secus est in iis exceptionibus, quæ in modum actionis intentari possunt, cujusmodi est exceptio non numeratæ pecuniæ, dotis & similes, ita & jus in eis variat t. t. C. de non num. pecun. §. un. Inst. de lit. oblig. VVesemb. in parat. ff. de except. n. 12.

§. VIII. Exerit autem ista prærogativa, qua de sermo nonster instituitur, judiciaria Reorum varie, & quidem I. circa judicium constituendum II. constitui progressum, ejusque III. executionem.

## CAPVT II.

### De Prærogativa Reorum quoad Judicium constituendum.

#### SVMARIA.

*Actio sequitur forum rei n. 1. quod declaratur n. 2. Et 3. limitatur*



tatur quoad prorogationem Jurisdictionis n. 4. quoad reconventionem n. 5. quoad continentiam causarum n. 6. & 7. quoad preventionem n. 8. obiter quid ferat consuetudo quarundam regionum notatur n. 9. reus actorem sequitur in proc. L. 5. de ingen. manum. n. 10. Actor edū Reo n. 11. excipitur scriptura testamenti n. 12. non edū Reus actori n. 13. excipitur, qui agit pro causa favorabili n. 14. excipiuntur Numularii n. 15. defensor rei admittitur citra mandatum, non procurator actoris n. 16. qui convenitur actione populari procuratorem dare potest, non qui agit n. 17.

## §. I.

**A**D Judicium constituendum tuendit *vocatio in Jus seu citatio*, ibi de fori competentia quaeritur seu ubi quisque agere vel conveniri debeat? Et tralatitium est, Actorem sequi forum Rei l. 2. l. 5. C. de Jurisdic. l. 3. C. ubi causa status, idque tam in actionibus in rem, quam in personam l. 3. C. ubi in rem actio.

§. II. Atque id distinctis rerum dominiis & Jurisdictionibus inter summas potestates divisis, civilis æque ac naturalis ratio suggerit: Enim vero nequicquam Actor ad suum Judicem Reum vocaverit, ubi hic ut compareat, aut patiatur executionem cogi nequit, cum judicium reddatur in invitum, l. 83. §. 1. de V. O. Gl. in c. 1. verb. interrogatus, de judic. quo alludit elegans locus Aristidis Rhetoris: *ἀνδρες ἰσθῆται δεσποῖναι, ἢ νῆδι ὁ κυβερνήτης τῶν πλεῖστα δεσπομένων, ἢ τῶν ἀποσβεσθέντων ὁ δικαστής, ἢ τῶν στρατιῶν ὁ στρατηγός, ἢ ὁ εἰσπράτης τῶν ἀκροατῶν, ἀνωποταμὸν εἰς τὰ περὶ γματά.* Porro cum Rei sit in legitimo hoc conflictu excipere & depellere, actori utique qui primus signa infert, & experitur, Reus ubi est vel moratur, tanquam hostis quaerendus, ut se sistat. Denique indigna vilia res est, Reum in commodis multarum & longinquarum profectionum subjicere, & in alias evocare provincias, sumtibusque præter rei exactionem vexare p. l. 10.

B

l. 11.

*l. n. d. R. V. cum magis faveatur Reo quam actori l. 125. de R. 7. & in pari causa melior sit conditio possessoris l. 128. eod.* Illud singulare est & publica utilitas extorsit, quod Imperator Nov. 53. actori permittit Reum quandoque extra forum suum ad alium Judicem protrahere; & contra reo districte injungit Nov. 69. ut in provincia sua & foro competenti se sistat & defendat, ita quidem, ut nec rescriptum Principis ad alium Judicem impetratum vim aliquam habeat, quoniam scilicet lis facile instrui & expediri probationes non possunt, evocatis alio per longum forte iter, nec citra magnam impensam testibus, quorum etiam corruptioni diurnitas temporis & locorum longinquitas occasionem præbere potest.

§. III. Sortitur Reus forum tribus potissimum ex causis, *Domicilio & Contractu & Resus*, ubi sub contractu *naraxensis* comprehendimus etiam *delictum arg. l. 20. ff. de judic. l. 52. de re jud. l. 7. §. 2. de admin. tut. l. 16. §. 1. de his, quib. ut ind. l. 15. de donat. l. 2. §. 2. de cond. ob turp. caus.* Sed hac de re plene conf. Zanger. *iv. de except. p. 2 c. 1. Dn. Struv. exerc. ad ff. 9. Nobis cura erit, aliquot limitationes proponere, & quando contingat, ut Judici non suo subjiatur Reus, ostendere.*

§. IV. In foro alieno conventus impunè non paret *l. ult. de Jurisdic. l. 53. §. ult. de re jud.* cum iste Judex sit instar hominis privati ei, qui Jurisdictioni illius non subest: hoc ita, si sit manifesta Judicis incompetentia. Cæteroquin ubi dubitari potest, an Jurisdictio fundata sit in vocatum nec ne, omnino venire debet, ut veritas inquiretur *l. 10. pr. si quis caution. l. 2. si quis in jus vocat.* Privilegia sua, q. d. exceptionem fori declinatoriam allegaturus Judice incompetente reposito *l. 5. de judic. Mynsing. 6. Obs. 7. Spekhan. 2. cl. 4. q. 1. Belsold. delib. juris ex lib. 5. ff. de Judic. qu. 10.* quam exceptionem si non opponit & litem contestatur, Judicem, qui erat incompetens, facit competentem, ejusque jurisdictionem tacita conventionione prorogat. *l. 52. de Jud. l. 4. C. de Jurisd.* Idem dicendum, si expressâ conventionione consenserit in Judicem alienum

## II.

lienum *l. 18. ff. de Jurisdic. l. 1. C. cod.* utrobique tamen quoad conventio sive tacita, sive expressa fuerit nuda, pœnitentiæ locus est; hic quidem usque ad aditionem Judicis *d. l. 18. illic usque ad litis contestationem l. 33. de Judic. l. 7. §. 4. ff. de pactis*, non obstante *l. pen. C. de pactis*. Ibi enim servatur conventio per replicationem præscriptioni fori, quam reus contra placitum conventionis objicit, objectam: nam certum est pacta nuda etiamsi non actionem, exceptionem tamen producere. Et hæc de prorogatione Jurisdictionis voluntaria, quæ hodie, quia tendit in præjudicium superioris, reprobat. *Besold. delib. jur. tit. de Jud. qu. 9.*

§. V. Porro *mutua petitiones seu reconventio* Jurisdictionem prorogat legis autoritate, exinde prorogatio legalis seu necessaria quibusdam dicta, cum Actor forum Rei secutus, cui ipse non subest, à Reo convenitur mutua petitione, eidemque apud eundem Judicem respondere cogitur. *Paulus: qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, si ipse ibi agat, cogitur excipere actiones, & ad eundem Judicem mitti l. 22. ff. de Jud.* Et Imperator in *l. 14. C. de sent. & interloc.* cujus in agendo quis observat arbitrium, eum habere & contra se Judicem in eodem negotio ne dedignetur, add. & huic subiecta *authent. & consequenter. Nov. 96. c. 2.* Hac mutua petitione sive reconventionem Hebræos se adversus Ægyptios vasa aurea & argentea reposcentes defendisse, quod allegarent, sibi quoque restitui oportere mercedes operariæ servitutis, ex Tertulliani *lib. 2. adversus Marcion*, notat Cujac. *ad tit. 4. decret. de mutuis petit.* Duplici autem via expeditur: vel enim conventus ante litis contestationem aut statim post eam instituit, ut super utraque causa Judex simul procedat, partimque jura & rationes alternatis vicibus audiendo utrinque pronunciet; vel post litem contestatam ex intervallo pendente tamen adhuc judicio proponitur, & tum separatim tractatur. Saxonico jure reconventio statim post actionem motam proponi & pari cum conventionem passu exerceri nequit,

quit, sed finita demum prima instantia. Locum habet regulariter in omnibus causis, & quidem in prima instantia, non in iudicio appellationis *arg. l. 2. §. 3. de Judic.* Plura vid. apud Gilhus, *in arb. Judic. c. 5.* Cujac. *ad tit. decret. de mut. petit.* Perez. *C. de sent. & interloc.* Donell. *17. comm. 18.* Bachov. *comm. ad tit. de Jurisd. & ad Tr. v. 1. D. 25. ib. 13.*

§. VI. Evenit etiam, ut Reus compellatur sequi Judicem non suum ob continentiam causarum, quæ ita inter se connexæ, ut simul in eodem iudicio apud eundem Judicem veniant terminandæ, quoniam interest causæ continentiam non dividi *l. nulli 10. C. de Judic.* tum ne partes diversis iudiciis alligata sumibus inmodicis onerentur, tum ut commodius super causæ controversiæ & probationibus cognoscatur, diversitasque sententiarum evitetur, quod usque eo invaluit jure civili, ut pœna ex officio Judicis immineat ei, qui causas coherentes dividere tentaverit *d. l. nulli*, quæ jure Canonico est amissio causæ in eo, qui dolo dividit, in cæteris arbitraria *c. ex tenore c. fin. X. de rescriptis. Gail. 1. Obs. 32.*

§. VII. Contingit ista causarum continentia, quando vel plures personæ diversos inter se Judices agnoscentes simul conveniuntur, quod frequenter accidit in iudicis divisionis, de quibus conceptus est *l. ff. de quibus reb. ad eund. jud. l. 8. §. 1. de lib. caus.* hac ratione omnes tutores vel heredes eorum, qui tutelam administrarunt, licet diversa obtineant domicilia, nec idem omnes sortiantur forum, ad eundem tamen Judicem ire debent tutelæ actione conveni *l. 5. C. arb. tut. l. 2. d. 1. de quib. reb. Mynsing. 1. O. 4.* vel res sub diversis iudicibus sitæ una generali actione peruntur, atque sic prætermisso Judice mediato Judex superior & communis omnium interpellatur. Ulterius fit locus continentie causarum, quando unum iudicium alteri ita coheret, ut istud vel præparet, vel explicet, liquidumque reddat. Ita Judex possessionis sibi vindicat causam proprietatis *d. l. nulli 10. l. 13. C. de Rei Vind.* Eodem modo, si in loco delicti contra absentem

tem

tem agatur criminaliter, vel etiam inquisitorie, ibidem quoque civiliter damni dati nomine utili *L. Aquil. actione conveniri recte potest. vid. Mynsing. 1. O. 97. Petr. Frider. de process. extrah. l. 3. c. 5. §. 18. num. 44.* nam alias ob privata delicta in loco delicti commisi conveniri nemo potest, si non & ibi deprehendatur *Carpzov. 2. Resp. 26.* Denique ob eandem causæ continentiam admissum, ut *Judex*, qui seorsim non potest judicare de causâ aliqua, possit tamen si ea incidat in id negotium, super quo principaliter lis mota est, ita, ut nisi simul dijudicetur & è medio tollatur, super principali causâ *Judex* progredi non possit, qua ratione super questione status, quæ jure ordinario majores *Judices* postulat *l. 32. §. 7. de recept. arb. l. ult. C. ubi causa status. vid. Vesenbec. p. 1. n. D. 15. ib. 10.* cognoscet, qui alias ejus cognitionem non habet *l. pen. de nox. act. l. 3. C. de judic. l. 1. C. de ord. judic.* Hæc conjunctio causarum, quæ olim erat necessitatis, hodie est in arbitrio Actoris, an velit eos conjungere, nec ne, ita tamen ut potestas sit Reo, exceptione continentia causæ ante litem contestatam opponenda actorem dividere volentem removere *Gail. d. Obs. 32. n. 13. Mynsing. d. O. 97. cent. 1.*

§. IIX. Præterea non juyatur fori privilegio is, qui posteaquam in jus vocatus, alterius fori esse coeperit, quia præventus est *l. 7. de judic. l. pen. de jurisd. l. ult. C. de veteran. lib. 12.* atque ubi semel ceptum est iudicium, ibi & finem accipere debet *l. 30. de judic.* in tantum, ut & heres defuncti teneatur sequi forum sui actoris, nec privilegio suo proprio excusetur *l. 19. de judic.* si videlicet jam à defuncto acceptum sit iudicium *l. 34. eod.* nec nefragatur *l. 12. si quis caution. in jud. ff.* neque enim ista lex capienda de privilegio fori novo superveniente, sed alio, ut puta induciarum quinquennialium, quod debitor à Principe impetravit adversus Creditores *l. 1. C. de petis. subl. l. ult. C. qui bon. ced. poss.* quod autem ex *l. 4. §. 4. de re milit.* obijcitur, id singulare est, favore militiæ contra jus commune receptum. Sola, inquam, in jus vocatio indu-

cit præventionem, ac quod in *d. l. penult. de Jurisdic.* dicitur, id facti, non juris est Rittersh. *ad Nov. p. 9. c. 10. n. 66.*

§. IX. Moribus quarundam regionum invaluit, ut exteri debitores, si in foro Creditoris deprehendantur, arresto detineri, & ibi à Creditore conveniri queant ob sequendi difficultatem Christin. *ad consuet. Mechlin. in rubr. Zobel. p. 1. diff. 43. Gudelin. l. 4. c. 5. de jur. noviss.*

§. X. Quod diximus Actorem sequi forum Rei, id inverti volunt in processu *L. diffamari 5. C. de ingen. man.* Nam ibi diffamans tenetur sequi forum diffamati, qui hic actor est *arg. l. 13. l. 29. l. 62. ff. de Judic. l. 2. §. 1. comm. divid. add. l. 3. de jurej. l. 83. §. 1. de V. O. l. 5. 6. C. de edendo, de hoc judicio late tractat Blarer *tract. sing. ad d. l. diffamari: conf. Gail. 1. Obs. 9. num. 3. Zanger. d. except. p. 2. c. 1 n. 7.* Affine huic est remedium *L. si contendat 28. de fidejuss.**

§. XI. Reo in jus vocato jubetur Actor Prætoris edico edere actionem, etiam instrumenta & rationes, omniaque quæ Reum instruere ad sui defensionem possunt, sive ille iis usus sit, sive minus *l. 1. §. 2. 3. 4. ff. l. 5. l. 6. l. ult. C. de edendo, ut speciem inde futuræ litis cognoscat l. 3. C. eod. dispiciatque utrum cedere, an contendere consultius sibi sit, & si contendendum putet, veniat instructus *d. l. 1. pr. ff. b. t.* huic deliberationi à Justiniano præstitutum est spatium 20. dierum *Nov. 53. quod repetitur & confirmatur Nov. 82. & 96.* Per enim inique cum reo ageretur, si vocatus in jus statim respondere cogatur: namque usu sepe veniret, ut præcipitante iudicio se debere neget, errore aliquo præpeditus, itaque sumptibus non necessariis, tædiisque fori sese præter culpam objiciat, quod tamen spatio ad deliberandum dato, & cognitio quomodocunque jure actoris facile confessus esset; contra fieri posset, ut quod non debet, temere se debere affirmet, atque sic confessione sua sese obliget, ubi non erat obligatus. Ne ergo utroque modo temere sibi noceat, consulendum ipsi erat, tempore ad deliberationem dato. Si forte  
an*

an edere recuset actor, denegatur ipsi processus Dn. Franzk. ad π. b. t. in fin. aut punitur ceu temere litigans arg. l. 1. §. ult. b. t. Cujac. 10. obs. 14.

§. XII. Non autem tenetur is, qui legatum petit, verba testamenti edere heredibus, quia heredes ipsi solent exemplum testamenti penes se habere, l. 2. ff. b. nisi forte casu aliquo id amiserint, arg. l. 6. §. pen. de edendo. si vero ex publico à Pratore ejus copiam habere possint, vid. l. 1. pr. & §. 1. testam. quemadm. aper. inde petent, neque tenetur quis edere, quod ad causam seu negotium, quod in jus deducitur, non pertinet l. 3. b. secundum quam accipio l. 1. §. 3. cod. Bach. ad Tr. v. 2. D. 5. ib. 4. l. a. Testium quoque nomina ut exhibeat actor, compelli non debet arg. l. 39. de rec. arb. idque ideo provisum, ne interim reus clandestinis insidiis fidem testium perterret & ad falsum committendum corrumpat.

§. XIII. Immunis est ab hoc onere Reus, quippe cui editur, ipse vero non edit l. 1. ff. l. 1. 4. l. ult. C. d. t. l. 7. C. de testib. nam durum est cogi reum, actorem telis, quibus se confodiat, armare, elegans est illud P. Syri; *Bis interimitur, qui suis armis perit.* Quin potius & æquitas & juris ratio postulat, ut Actor, qui in potestate sua habet, quando velit agere, & litem ingredi, nisi re bene ponderata non compellitur l. 5. §. ult. de except. l. 42. d. R. J. t. t. C. ut nemo iniurus. suis ipse præsidis munitus veniat, nec alienorum instrumentorum inspicendorum potestatem sibi vindicet, aut de domo rei probationes expectet l. 4. C. b. t. quod si singularis aliqua circumstantia moderationem horum polcere videbitur, Prator partes suas interponet arg. l. 1. C. b. l. pen. §. ult. ff. ad L. Falcid. Illud controversum est: *An saltem ad fundandam Actoris replicationem edere teneatur Reus?* Videtur hoc non obscure affirmare Imperator Alexander in l. ult. sub fin. verb. petitionis sua originem C. d. t. Puto, rem ita temperandam, ut si res, quæ petitur in judicio, fere sit evicta, hæreat autem adhuc controversia circa modum rei ejusque qualitatem, quod tunc omnino

mpino teneatur reus ad exhibitionem instrumentorum, quibus fundatam jam petitionem actor plene probet *arg. l. 48. d. action. emt. l. 91. §. 3. de leg. 3.* Finge, Septimium à Titio vindicare fundum, dominiumque a sua parte asserere; fundata est petitio: Verum contra excipere Reum, fundum non esse tot iugerum, quot prætendit Actor; eo casu recte hic postulabit instrumenta, quibus fines & numerus iugerum continentur, sibi à Reo exhiberi, ut secundum eas lis dirimatur.

§. XIV. Sunt tamen causæ, quæ favore sui exuberantiori favorem Reis communi jure tributum in hac quæstione vincunt, & reum ad edendum omnino obligant, cujusmodi est *causa fisci*. Nam si fiscus aliquid petat à Reo, cogitur hic delatori edere instrumenta, quæ ad causam ex qua delator se deferre professus est, pertinent, *l. 3. ff. b. t. quotiens scilicet de jure capiendi, vel de jure domini, vel de aliqua causa simili rei numaria quæritur l. 2. §. 1. & 2. de jur. fisci*, adversus fiscum tamen à nemine edi oportet *l. 45. §. 5. cum seqq. eod. Gail. 1. obs. 106. n. 11.* huc referenda causa dotis, alimentorum, matrimonii Wesenb. parat ff. b. t. n. 12.

§. XV. Denique hinc submovendi *Argentarii* seu *Numularii* secundum antiquam Romanorum consuetudinem, qui Prætoris edicto rationes suas exhibere tenentur omnibus, quorum interest *l. 4. & seqq. b. t.* five cum ipsis accipiatur iudicium, five cum aliis *l. 10. eod.* neque ea res iniquitatem habet; cum enim nostro nomine & rogatu eas confecerint, nostra instrumenta non sua exhibere videntur *d. l. 4. §. 1. eod.* possunt tamen ab adversario suo exigere juramentum non calumnix causa postulare edi sibi *l. 6. §. 2. eod.* Erant autem Argentarii seu Argentariae mensæ exercitores, grecis ἀργυροποιοί, ἀργυροπράται. Justiniano *argenti distractores* dicti, *l. un. C. negot. ne mil.* ejusmodi personæ, quarum officium & ministeriam publicam habebat causam *l. 10. §. 1. b. l. 3. de pos.* Habebant tabernas & mensas in foro publico *l. 32. de contr. emt.* ut quibus subita pecunia esset usus, de mensa numerarent, vel



vel depositam ibi habentibus, vel sub usuris, quas usque ad  
 bestes ex Justiniani constitutione l. 26. §. 1. C. de usuris, sumere  
 iis licebat, etiam citra stipulationem Novell. 136. §. 4. acci-  
 pientibus. Quam rem uti gesta est, in Codices suos refere-  
 bant, qui publicam fidem merebantur, & inde nominibus  
 obligatio oriebatur, qua de Imp. iii. Inst. de liter. obl. Ad hu-  
 jus rei differentiam ii qui propriam pecuniam alicui nume-  
 rabant, de domo vel ex arca numerare dicebantur, quod ex-  
 primi in chirographis solebat l. 40. de reb. cred. ibique Go-  
 thofr. l. 26. de const. pecun. conf. Dn. Strauch. dissert. de Præfekt.  
 urbic. §. 9. quod jus obsoletum hodie ad Notarios nostros  
 itemque Publicanos & Rationales, aliosque qui ex publico  
 officio libros rationum conficiunt, applicant VVesensb. de e-  
 dendo n. 12. Hillig. ad Donell. 23. comm. 7. add. Gail. d. obs. 106.  
 n. 5. & seqq. Eadem cum Argentariis conditione habentur  
 omnes illi, qui actoris, adversus quem in judicio conten-  
 dunt, res rationesque administrarunt, veluti Procurator, ne-  
 gociorum gestor, tutor, focius.

§. XVI. Litigamus in judicio vel per nosmet ipsos vel  
 per alios l. 63. de judic. puta procuratores, quo nomine gene-  
 ralius accepto comprehenditur tam is, qui à parte actoris,  
 quam qui à parte Rei intervenit l. 8. pr. §. ult. l. 14. l. 15. pr. §. 1.  
 l. 35. §. 1. 2. 3. l. 46. pr. §. 5. & 6. l. 69. l. 71. ff. d. procur. strictiori  
 significato iste, qui à Reo est, defensor dicitur, & Procuratori  
 opponitur l. 11. §. 7. de except. rei judic. l. 9. §. 6. l. 34. §. 3. de jure-  
 jur. l. 6. §. 2. de his, qui not. infam. l. 28. l. 40. §. 1. & 2. l. 61. & arg.  
 rubr. de procur. cujus ratione pro favore Rei illud notandum,  
 quod ad ejus defensionem admittatur etiam citra mandatum  
 motu proprio quilibet, qui modo personam obtinet in judi-  
 cio l. 51. & seq. l. 61. in fin. l. 75. l. 76. eod. l. 6. ad Scl. Vellej. l. 6. rat.  
 rem hab. l. 12. C. de procur. præstita tamen satisfatione judica-  
 tum solvi ad. ll. & §. 5. Inst. de satisfat. aut cautione de rato,  
 si in rem actione conveniatur l. 40. §. 2. ff. d. t. de proc. fita-  
 men adversarius paratus fit credere nude repromittenti, sa-  
 tisda-

ratidatione non onerabitur *l. 45. in fin. pr. de proc. l. 5. §. 3. judic. solvi l. 61. de V. S. quia volenti non fit injuria l. 1. §. 5. de injur.*  
 Ex parte vero actoris nemo regulariter admittitur absque mandato præter personas conjunctas *l. 35. l. 40. §. ult. de proc. etiam si vel maxime satisfactionem offerat. VVesemb. in parat. de procur. n. 6.* nec is in iudicium quicquam deducit, adeoque nec sententia lata valet *l. 27. pr. ff. l. 24. C. d. t. l. 31. de jud. l. 63. de re judic. non obstante l. 56. de judic.* Nam ea accipienda de domino ratihabente dum pendet adhuc iudicium, & licet Dominus sententiam pro procuratore latam habeat ratam, nihilo tamen magis illa convalescet: contra procuratorem latam ratihabitione sua confirmare sibi que præjudicare potest *l. 3. §. 1. rat. rem. hab. d. l. 24. C. de procur. Perez. in C. ad b. t. Franzk. ad ff. eod. Dn. Struv. exerc. 7. §. 27.* ut proinde & hic melior sit conditio Rei quam Actoris, cum publice expediat absentes à quocunque posse defendi *l. 33. §. 2. d. t. de proc. & damna, in quæ incurrerent ignari rerum, nemine eos defendente, ab iisdem averti l. 1. §. fin. quod cuiusque univ. nom.* Ex eodem porro fonte fluit, quod statim atque cavet, dominus litis efficitur, iudicio nec dum accepto *l. propen. de proc. & contra ipsum actio iudicati dirigitur l. 61. eod. l. 4. de re jud. l. 46. de minor. Cujac. 14. obs. 30. Donell. 18. casum. ult. §. 27. comm. ad d. l. 4.* cum alias iudicati actio contra dominum, non contra procuratorem detur *d. l. 4. de re jud. l. 9. de dol. mal. exc.*

§. XVII. Plane in actionibus popularibus, quæ suum ius populi tuentur *l. 5. de pop. act. is, qui agit, procuratorem dare non potest l. 5. eod. l. 42. de proc.* nisi quoad damnum & interesse privatum *d. l. is vero, qui convenitur, ad defendendum procuratorem dare indistincte potest d. l. 5. vid. VVesemb. p. 2. ad x. D. 32. ib. ult. Eckold. ad rit. ff. de pop. action. §. 5.* atque hæc, quantum ad iudicium constituentium.

## CAPVT III.

exhibet

Prærogativam Reorum quoad  
Judicium ipsum.

## SYMMARIA.

*Bannius comparere in iudicio ut reus & excipere potest, non tamen ut actor n. 1. facilius datur exceptio quam actio n. 2. plures quis exceptiones in iudicium deducere potest n. 3. non plures actiones n. 4. Reus actore non agente, potest petere examen testium, quibus ius suum probaturus est, ad perpetuam rei memoriam n. 5. Reo præfertur in quibusdam actor n. 6. magis favetur Reo in dandis dilationibus, quam Actori n. 7. Actore non probante Reus absolvitur n. 8. Item paribus utrinque probationibus allatis n. 9. dubium removetur n. 10. Actor nihil probans deferre Reo iusjurandum potest n. 11. dissentientibus occurritur n. 12. Iudex non desert nisi in dubiis causis n. 13. Paribus sententiis Reus absolvitur n. 14. Reus non tam facile in expensas condemnari potest, quam actor n. 15.*

## S. I.

**C**onstituitur iudicium liti contestatione l. 15. ff. var. rem. bah. l. 44. de iudic. l. un. C. de Lit. Contest. quod sit narratione negotii controversi apud iudicem ab actore facta cum petitione, & Rei conventi ad eam responsione seu contradictione d. l. un. l. 14. §. 1. C. de iudic. & quidem vel expresse negando id quod petit Actor, vel implicite, affirmando quidem actoris intentionem, subijuncta tamen exceptione, quæ Ciceroni in *topic.* est aries quidam, qui subijcitur actioni. Cujac, in *parat. C. de except.* actio est telum, exceptio clypeus

clypeus seu umbo, quo defendit se Reus. Comparatae sunt exceptiones defendendorum Reorum causa, ut est in *princ. Inst. de except.* & generali verbo defensiones dicuntur in *l. 11. C. cod.* & ex jure naturali descendunt *Clem. pastoralis circa fin. de sentent. & re jud. l. 3. ff. de I. & I. l. 1. §. 1. de dol. mal. except.* ideoque nemini deneganda est, ne ipsi quidem Diabolo, ut loqui amant. Inde defenditur bannitum Imperii, quocum nulla judiciorum communio est, si velit agere *l. 5. de accus. quoniam capite minuitur l. 5. §. 1. de cap. min.* & omnes ejus actiones, sine quibus agere nemo potest, *l. 6. §. fin. de neg. gest. l. 2. de dor. preleg. nulla & irrita facta sunt Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. 2.* posse tamen venire in judicium, si conveniatur, ad necessariam sui defensionem, & exceptiones actori objicere, cum persona ejus hoc ipso, quod trahitur in judicium, & à giudice citatur, quasi restituatur & habilis ad respondendum efficiatur, ut nulla postea exceptio contra eum valeat, *e. cum inter de except.* & incongruum foret, dare actori potestatem ad aliquem impugnandum, impugnato autem denegare facultatem sese defendendi, cum judicium claudicare non possit *l. 62. de judic.* & contradictore nullo existente, facile esset actori aliquem innocentem per calumniam opprimere. Idem in excommunicato, perjuro juris est *c. dilecti & c. dilecti de except.* vid. *Gail. 2. de P. P. c. 12. n. 22. Umm. Disp. ad proc. 1. tb. 5. n. 31. & seqq.*

§. II. Proniores etiam multo sunt leges ad dandam exceptionem, quam actionem *l. 1. ff. de pign. & hypoth. l. 14. de dol. mal. except. l. pen. C. de prescript. 30. vel 40. annor.* Qui impensas fecit in rem alienam, eas per retentionem opposita actori doli mali exceptione servat *l. 7. §. 12. de A. R. D. d. l. 14. de dol. mal. exc. §. 30. inst. de rer. divis. l. 48. de rei vind.* si videlicet fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant *d. l. 48.* Quod si rem restituat non deductis impensis, nulla prodita ei actio est, per quam sumtus repetat *Ad. 4. & l. 33. in fin. de cond. ind. l. 17. de petit. hered.* etiamsi per

per errorem arg. l. 9. §. 5. de jur. & fact. ignor. l. 6. C. ad l. Falcid. si modo in rem alienam quasi suam impensas quis fecerit; aliud dicendum de iis, qui impendunt in rem vere suam, sed post tempus alii restituendam, his enim actio tribuitur l. 40. §. 1. de cond. ind. l. 23. ad S. Trebell. Ex hoc fundamento argumentatur Ulpian. in l. 156. §. 1. de R. J. cui damus actionem, ei multo magis exceptionem dari quis dixerit, ejusque rei exemplum proponit idem in l. 1. §. 4. ff. de superf. conf. l. 8. §. 13. de inoff. test. l. 28. §. 5. ex quibus caus. maj. l. pen. & ult. de publ. in rem act. quæ regula capienda de eo, qui suo nomine iustoque titulo rem possidet; alieno nomine, puta locati vel depositi possidenti non datur exceptio, quamvis eidem actio detur l. 25. C. locat. l. ult. C. de pos. refragatur tamen dicta l. 25. C. loc. l. 20. C. de agric. & cens. lib. 11. nisi cum Cujac. add. l. 25. Gædd. de sequestr. possess. c. 2. n. 36. & seqq. objectam l. 20. accipimus de eo colono, qui conditione sua colit, propriaque conventionem terræ, quam colit, est addictus, quam deserere neque potest neque debet.

§. III. Si plures Reo suppetant exceptiones, omnibus uti potest sive cumulative sive elective l. 43. de R. J. Quintil. 4. Inst. 3. Recusatio, inquit, plures prepositiones habet, ut contra petitionem pecunie: Male petis. Procuratori enim tibi esse non licet, sed neque illi cujus nomine litigas, habere procuratorem, sed neque est heres ejus, à quo pecuniam accepisse dicor, nec ipsi debui. Si de una exceptione reus non probaverit, ad aliam redire potest l. 5. de exception. licet inter se sint diversa & contraria l. 8. eod. v. gr. qui modo negavit se debere, potest opponere exceptionem solutionis, compensationis, rei judicatae &c. idque ex æquitate, quam ex Arriano subministrat Julius Paulus l. 47. ff. de obl. & act. Objiciat aliquis ex l. 2. §. 1. ff. quando appell. contraria allegantem non esse audiendum: Sed responderi potest, d. 1x. vel pertinere ad actorem, non ad reum, cujus persona favorabilior est; vel potius loqui de iis, quæ prorsus sunt incompatibilia & sese mutuo destruentia.

entia. Illud etiam facile contemnas, quod cum Reus excipiendo induat personam actoris, consequens esse videatur, eum pari jure usurum cum actore, qui pluribus actionibus concurrentibus, una experitur, ut mox patebit: Enimvero hoc est *ἐλέγχειν* ab eo quod secundum quid dicitur, ad id quod simpliciter. Reus excipiens fit actor, aut potius exitum actoris patitur, quod ad probationem exceptionis seu ejus quod excipiendo ponit: Cæterum manet reus, quia nihil petit, sed is est a quo petitur. Sunt alia loca non pauca, quæ fortius contradicere nobis videntur: Nam ex *l. 21. §. 2. juncti. l. seq. §. ult. de nox. action. §. l. 1. §. 15. si quadrup. paup. fec. is*, qui noxali judicio conventus est, si neget servum vel quadrupem in sua potestate esse, convictus mendacii, tenetur actori citra noxæ deditioem, nec ad aliam exceptionem reditum habet. Simile est quod deciditur in *l. ult. ff. de R. V. §. Nov. 18. c. 8. cum auct. contra qui propriam, C. de non num. pecun. inde desumpta, & eadem Nov. c. 10. juncti. auct. item possessor C. qui potior. in pign. item l. 22. §. 1. de re jud. l. 28. de probat. §. ult. Inst. de fideic. hered. Ad conciliationem horum dici potest, tum quod *d. l. 43. de R. I.* concepta sit cum hac restrictione: *nisi lex impediatur*; tum quod referat, utrum quis prudens & sciens objiciat, quæ falsa sunt; an vero quæ sibi competere deceptus errore putat, opponat: hæc favor Rei & defensionis causa transitum ab una exceptione rejecta ad aliam meruit; ibi fraudulentum consilium ejus, qui mendacii convictus est, punire visum est, uti non obscure suggerit *d. Nov. c. 8. §. 10.* Quod in specie *l. ult. §. 1. C. de compens.* exceptio compensationis denegatur Reo, id hanc habet rationem; quod iniquum fit, ei, qui post varias tricas & ambages rem, qua de lis est, vix tandem obtinuit, demum objicere compensationem debiti nec dum liquidi, atque sic de vestigio noxæ disceptationi implicari. Conf. plenius Bach. ad *Tr. v. 2. D. 26. ib. 7.**

§. IV. Idem non licet actori, §. 1. *d. l. 43. de R. I.* qui certus

certus esse de intentione sua debet, neque plures uno eodemque iudicio ejusdem rei nomine cumulare actiones, neque variare potest, sed una electa altera perimitur §. 5. *Instr. quod cum eo, qui in alien. pot. l. 76. §. 8. de leg. 2. l. 9. §. 1. de tribut. act. l. 38. §. 1. profoc. l. 3. §. ult. naut. caup.* singulis controversiis singulas actiones sufficere Paulus respondit l. 6. ff. *de exc. rei jud.* nisi incertus sit actor, qua actione sibi sit experiendum, nam ibi tum *duas dictamus, protestati ex altera velle consequi quod nos contingit l. 1. §. 4. quod leg.* ut adeo hoc casu proponantur duæ actiones sub duabus contrariis conditionibus, & quidem petitio hereditatis, si reus possideat pro herede vel possessore; interdictum quod legatorum, si pro legato; & quoniam utraque conditio simul vera esse non potest, in effectu saltem alterutra mota esse videtur. Plane successive in alio atque alio iudicio plures actiones ratione diversarum quantitatum movere, l. 130. *de R. I.* aut de petitorio ad possessorium transire prohibitum non est l. 12. §. 1. *de acquir. poss. l. 18. §. 1. de vi & vi arm.* propter l. 24. *de rei vind.* conf. *VVissenb. p. 1. π. D. 8. ib. 19.* Plura quæ obijciuntur, removet *Dn. Struv. exerc. 46. ib. 100.* Hunc tamen juris articulum pragmatici nostri non perinde observant, uti ostendit *Dn. Struv. d. l.*

§. V. Patet ex dictis exceptionem, cum sit actionis exclusio l. 2. ff. *de except.* obijci nisi mota prius actione non possit. Quid vero si vereatur Reus, ne dum actor tergiversatur, & actionem intentare differt, exceptionis suæ probationibus excidat? hic ei permissum est, ultro adire Judicem, eique exceptionem suam indicare, ac petere, ut cogat actorem intra certum tempus experiri, postea non amplius audiendum *Mynsing. 4. obs. 72. VVessenb. in parat. C. de except. n. 9. Coll. J. Arg. de dol. mal. except. ib. 5.* aut si hæc via ei non probabitur, alia consultum eidem est, videlicet potest postulare à Judice ut examinentur testes, indistincte omnes, quibus in probando jure suo nititur, ad futuram rei memoriam,

riam, etiam non urgente præfente aliquo periculo, quoniam vario fato interim dum actor lite nos pulsare aggreditur, amittere testes possumus *c. 41. & 43. de test. Gail. i. O. 92. n. 8. Mynsing. 4. Obs. 71. Rutger. Ruland. ir. de commissar. p. 2. lib. 1. c. 3. n. 4. & seq.* quod non licet actori, qui quodcumque libitum erit, actionem instituere, adeoque testes ad eam probandam in iudicium producere potest, quamobrem in illo valet regula communis, ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem *vid. c. quoniam frequenter, ut lite non contest.* nisi ex causa, si doceat, se retrahi aliquo impedimento juris aut facti, quo minus agat, v. gr. quod debitum sit in diem vel sub conditione, & contingere possit, ut testes eo tempore, quo dies aut conditio existit, non vivant, *tex. sing. in L. 40. ff. de L. Aquil. Ruland. d. l. n. 13.* aut si doceat testes jam esse decreptos vel valetudinarios, ita ut periculum sit ne moriantur, antequam accipiatur iudicium, vel alias diu sint abfuturi, *d. c. quoniam frequenter, ut lite non contest.* quo tamen casu intra annum litem ingredi cogitur, secus si fecerit, præsumtio est contra eum juris & de jure, quod fraudulento consilio interrogationem testium susceperit *d. c. Gail. d. Obs. 92. n. 4.* Plane si Reus jam vocatus est, aut proxime vocandus in iudicium actorve pollicetur, se in continenti acturum, neuter postulare poterit hanc examinationem testium, nisi forte metus sit ne processus proleletur testiumque interim auxilio exuantur, tunc enim ex pari procedunt actor & reus, ut loquuntur. Denique & in exceptionibus, quæ contra communem exceptionum naturam etiam per viam actionis intentari possunt, nihil habet reus, quod sibi præcipuum vindicet, cum sua culpa jus suum persequi cesset *Ruland. d. l. n. 8. vid. Modest. Pistor. p. 1. qu. 39. n. 16.*

§. VI. Videtur tamen Reo præferri Actor in eo, quod ambiguarum intentionis interpretatio ei potius permittitur, quam Reo *l. 66. de Judic. l. 61. eod. l. 83. §. 1. de V. O. l. 172. de R. I.*  
quam-



quamvis in contractibus verba contra proferentem interpretemur *l. 39. de pact. l. 21. l. 33. de contr. emt. l. 17. §. ult. de servit. præd. urb. l. 26. de reb. dub. l. 38. §. 18. l. 99. d. V. O.* Verum tamen id non tam Actoris favore, quam iudicii necessitate obtinuit: Per enim periculosum esset hoc ex persona Rei metiri, qui semper, ne condemnetur, hoc dicet, non convenisse *d. l. 61. de Iud.* aut eam comminiscetur verborum interpretationem, quæ sibi suæque causæ commoda maxime videbitur, omnimodo in id intentus, quo eluso Actore & Iudice invisa instantiæ sese subducat. Scitum est illud Cornici: *Nostri ætas haud multum fidei gerit. Tabula signantur, ad sunt testes duodecim, tempus locumque notat actuarius, tamen invenitur Rector, qui factum neget.* E contrario, si quid obscuri aut ambigui exceptio Rei contineat, ejus erit interpretatio *arg. ad. ll.* quemadmodum etiam inconsultum visum est, in stipulatione iudicio fisci, quando partes dissentiant in die ponenda, Reo permittere hujus determinationem, cujus proprium est fugere Iudicem, lites protrahere, & undecunque moras neçtere *l. 13. §. 2. C. de Iudic.* Simile quid in Actoris gratiam videtur statutum *l. 5. §. 7. judic. solv. conf. Jacob. Gothoff. ad l. 41. pr. de R. I. sub fin.*

§. VII. Opus est sæpe partibus in iudicio litigantibus certo spacio ad litem rite ordinandam instruendumque Iudicem concedendo seu dilationibus, si forte causæ necessitas exegerit testium exhibitionem aut productionem instrumentorum, atque hæc non sint in promptu, sed ex provincia remotisque terris arcessenda *l. 11. C. de dilat. l. 36. pr. l. 45. pr. de Judic. l. 99. §. fin. de V. S. Nov. 115. §. 2.* decernuntur autem dilationes, non nisi causa cognita adhibitaque secundum causarum diversitatem locorumque distantiam moderatione, & conceduntur à Iudice pro tribunali sedente, ac quoad ejus fieri potest, coarctantur & amputantur *l. 1. sub fin. l. 4. C. b. t. l. 7. eod.* facilius tamen & crebrius indulgentur Reis quam Actoribus, quippe Reorum intuitu potissimum

introducitur, qui improvifi & præter spem ad Judicem protrahuntur, quorumque potestate nequaquam stat, quando litigio pulsantur, ut loquitur Constantinus in l. 6. §. 1. C. de temp. in int. restit. add. l. ult. ff. de dilu. l. 2. C. eod. Nov. 53. c. 5. & seqq. cum actor instructus in forum venire possit & debeat; concessæ tamen reo, per consequentiam etiam actori profunt & vice versa d. l. 6. in fin. C. de temp. in int. restit.

§. VIII. Actore intentionem in judicium deductam non probante Reus absolvitur, cum nihil ipse contra præstiterit l. 4. C. de edendo l. 9. C. de except. l. 2. C. de probat. l. 9. C. de obl. & act. l. ult. C. de rei vind. adeo ut ne quidem ad professionem tituli seu causæ, per quam possidet, adigi queat l. 1. C. de petit. hered. ubi tamen excipitur possessor hereditatis, cujus juris singularis hæc ratio est, quod ejus, qui petit hereditatem vel maxime interest scire, quo jure possessor possideat, ut recte experiatur, cum petitio hereditatis non detur contra quemcunque, sed eum qui pro herede vel possessore possidet l. 9. ff. d. petit. hered. quod secus est in speciali in rem actione, quæ cum detur indistincte adversus quemcunque possessorem l. 36. de rei vind. l. ult. eod. l. 24. §. 2. de jud. nihil ejus quod ad actionem movendam intererit scire, quo jure possessor possideat vid. l. 73. ff. l. ult. C. d. R. V. quod si fiducia causæ reus ultro probationem in se susceperit, nihil magis hoc ei postea in ea deficienti oberit, actore intentionem inde suam non implente gloss. & Dd. in l. 14. ff. de prob. Bald. Salycet. in l. 4. C. de edendo. quoniam Reus ultro suscipiendo hoc onus non censetur renunciaffe juri sibi competentis ex d. l. 4. & absolvetur non solum ab instantia, sed definitivè, ita ut nulla facultas postea sit actori litem sopitam prætextu novæ probationis redintegrare. Bachov. ad. Tr. v. 2. D. 4. tb. 8. lit. c. d.

§. IX. Paribus utrinque probationibus allatis, cum utrique parti Judex favere non possit, neque enim anile illud judicium inter partes in re dubia ferre debet, ut jubeat rem de

de qua litigatur, æqualiter inter partes dividere teste Cujac. *1. quest. Pauli ad l. 34. de neg. gest.* ideoque tutius fecerit, si reum absolvat, tum quod & alias absolutionis causa sit favorabilior, *c. ex lueris 3. de probat. c. inter dilectos 6. in fin. de fid. instrum. arg. l. 47. de obl. & alt. l. 91. §. 3. de V. O. c. alligant vers. nonne 26. q. 7.* tum ob benignam præsumtionem ex iniqua rei conditione desumptam: cum enim ut plurimum inopinato ad Judicem provocetur, ideoque non æque paratus atque actor venire censeatur, si tamen nihilominus æqualiter de jure suo docuit, plus aliquid egisse videtur, quam egit actor & par est credere, quod si plene venisset instructus, plenissime causæ suæ justitiam fuisset ostensurus, Conf. Auctor *problem. sect. 29. c. 13.* quod ampliat Abbas *in c. ad nostram 12. de probat.* ut, etiam si probationes actoris in aliquo excedant, v. gr. testes ab actore producti sint masculi, à reo vero femina, quæ in pari censu cum illis aut veniunt, & varium & mutabile semper testimonium producant, ut loquitur Isidorus *in c. forus 10. de V. S.* nihilo minus vincat reus. Ubi tamen tales à parte rei ponendæ sunt exceptiones, quæ cum actione consistere possunt v. g. si actor asserat idque probet idonee, se certo die certo in loco alicui numerasse pecuniam, reus contra excipiat, se toto isto die alibi fuisse, idque similiter legitime probet, tunc erit absolvendus ex benigno favore: si autem excipiat se solvisse, & hoc idoneis probationibus ostendat, vincet non ex favore aliquo personali, sed quia actoris probationes jure elidit ac submovit Bachov. *d. l. Galbæ* tamen Imperatoris aliud in hoc puncto erat judicium, qui *cum de proprietate jumenti quaeretur, levibus utrinque argumentis & testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi aduari solebat, duceretur, capite involuto: atque ibidem revelato ejus esset ad quem sponte se à potu recepisset.* Sueton. *in Eo c. 7. sub fin.* aliud exemplum Rudolphi Austriaci exhibet Lipsius *2. monit. polit. 9.*

§. X. Repugnare tamen dictis quis dixerit Impera-

torum in §. 1. *sub fin. Inst. de action.* ubi in iudicio rei vindicationis possessori videtur injungere, ut contra vindicet, dominumque se esse dicat. Quod etsi fortassis antiquo juri convenienter dicat, uti colligere est ex loco apud Cicer. pro Muræna: *fundus Sabinus meus est: imo meus.* Plaut. in *Rudent. act. 3. sc. 1. Grip. hunc meum esse dico:* Tr. *Et ego item ajo esse meum.* facit *l. 18. de except. conf. Gell. 20. nost. att. c. 10. Brisson. l. 5. de form.* certum tamen est, id ab usu recessisse, uti probant evidenter *ll. sup. allegg.* & forte Justiniano ex antiquo jure id eo loci obrepfit, quod tamen ibidem non approbat. Possis etiam *d. §. accipere de casu*, ubi actor jam in probationibus eo processit, ut res possessori sit eripienda, nisi & hic vicissim de jure suo doceat, aut de casu, quo reus absolvi non solum à petitione actoris, sed & simul dominus declarari velit, ne quo tempore ab alio possit repeti, quoniam res inter alios acta aliis non præjudicat *l. 63. de re jud. Conf. Vinn. Comm. ad d. §. 7. de action.*

§. XI. Quid tamen, si actor post producta instrumenta & exhibitos testes nihil profecerit, num erit audientus, si velit deferre Reo jusjurandum? Affirmo, ita ut illud vel subire, vel si malit, referre cogatur, alioqui citra causam id recusans tanquam confessus & convictus damnabitur, idque probatur *l. 35. de jurejur.* ubi jusjurandum delaturus tutor omnibus aliis probationibus deficientibus auditur, *l. 25. §. 3. de probat.* ubi absque distinctione conceditur licentia ei, cui probationis onus incumbit, Adversario suo de Rei veritate juramentum inferre, secundum quod Judex possit sententiam formare add. *l. pen. in fin. pr. verb. in principio litis C. de jurejur. l. fin. §. 10. C. de jur. delib. l. ult. C. de fideic.* quin imo nec videtur deficere probatione omni, qui jusjurandum defert *l. 11. §. ult. de jurej.* & cum actor adversarium delatione juramenti Judicem & testem in propria causa faciat, ejusque se testimonio submittat *l. ult. C. d. fideic.* manifestæ turpitudinis esset nolle nec jurare, nec jusjurandum referre teste Paulo

in l.

in l. 38. eod. & jusjurandum ad id inventum est, ut ubi argumenta & testimonia desunt, metu divini Numinis ab Adversario veritas extorqueatur.

§. XII. Atqui dices: hoc non consentire cum eo, quod paulo ante pro Reo disputavimus, actore non probante, Reum absolvi, & si nihil hic præsterit secundum l. 4. C. de edend. nec esse petendas probationes de domo Rei l. 7. C. de testib. Ad hæc responderetur dicta locum non habere, quando actor ad remedium hoc subsidiarium, quale est jusjurandum, confugit, quin hoc ei cedit in vicem probationis d. l. 11. §. ult. l. 1. l. 25. de jurej. l. 1. l. 2. l. 11. C. eodem, cum actor sibi hoc pacto quasi probationem procuret, dum reo jusjurandum deserat, quod hic subire cogitur, aut si temere recuset neque referat, habetur pro confesso l. 38. de jurej. confessio autem omni probatione major est d. t. ff. de confess. l. 25. in fin. ad L. Aquil. quod autem in l. 7. C. de test. dicitur, id pertinet ad conditionem instrumentorum, ad quam non teneri reum jam supra docuimus. Neque facit pro dissentientium opinione l. 11. C. de jurej. nam ibi Imperator solum levitatem coerecet ejus, qui postquam Adversario detulit conditionem jurandi, mox antequam præstetur, revocat, dum existimat sibi abundare probationes, & denuo spe frustratus mutato consilio ad jusjurandum cui renunciandum putavit, redire conatur Donell. 24. comm. 12. Arnold. Vinn. 1. sel. quasi. 42. quod si Reus metuat, ne actor dolo malo vexandi, aut religionem temere incutiendi ergo jusjurandum sibi deserat, prospicere sibi potest juramento calumniæ, quod subire actor cogitur, nisi malit reum absolvi l. 34. §. 4. l. 37. de jurej. l. 9. C. eod. sin ipse delatum jusjurandum referre velit, ad juramentum de calumniâ cogi nequit, quia non est ferendus actor, qui conditionis quam ipse detulit de calumniâ velit sibi jurari d. l. 34. §. 7. qua fronte enim reum audebit accusare calumniæ, cum non ab eo, sed ab ipsomet actore necessitas jurandi sit profecta VVesemb. parat. de jurejur. n. 9.

§. XIII. Atque hoc quidem actori permissum est, eo tamen jure suo non utente Judex proprio motu in casu, quo nihil præstitum ab Actore, deferre jusjurandum non potest. Namque Judex non rogatus in alterius præjudicium officium suum impertiri non debet *arg. l. 4. §. 8. de damn. inf.* Secus, si de facto ad id procedat, Reus appellatione sibi consulat. Merula *l. 4. dist. 4. sect. 4. tit. 24. c. 1.* Judicis enim officium est in causis dubiis & inopia probationum, si alia ratione decidendi controversia non possit, jusjurandum interponere *l. 31. ff. de jurejur. l. 3. C. eod.* ubi illud in controversiam abiit, *quæ nam cause inter dubias habenda?* Et communiter placuit, causas dubias in *dd. ll.* censendas, ubi neque nihil neque plene probatum est, veluti per unum testem omni exceptione majorem, scripturam privatam & accedentem comparationem literarum, cujusmodi probationem semiplenam vocant, ita ut tum Judex deferat jusjurandum suppletorium actori, qui semiplene probavit, vel Reo purgatorium, qui suspicionibus gravatus est *VVesemb. in parat. l. Duareno tamen 2. Disp. 33.* quem Præceptorem sequitur more suo Donellus *24. comm. 11.* item Ant. Fab. *19. conj. 1.* & novissime *VVissemb. p. 1. ad x. D. 24. ib. 24.* causæ dubiæ sunt illæ, ubi pares sunt utrinque probationes, adeoque illis actor, qui producit unicum testem, adeoque semiplene probat, non videtur probare, ut adeo & hic secundum regulam, qua actore non probante reum absolvi supra admittimus, absolvendum arbitrentur, quod paria sint non probare & non perfecte seu plene probare *arg. l. 6. qui satisd. cog. l. 9. C. de probat.* & quod, ubi leges loquuntur de probationibus, intelligendæ sunt legitimæ probationes & juxta *l. ult. C. de probat.* Resp. eatenus hæc vera sunt, quatenus per se & sola non sufficiunt ad gignendam plenam in Judice fidem & assensum perfectum, seu, æque Judex non credit ei, qui nihil probat, quam qui non plene; potest tamen unicus aliquis testis non contemnendæ autoritatis aliquam in animo judicantis generare suspicionem *arg. l. 14. de dor.*

*dot. proleg. l. 5. §. ult. testam. quemadm. aper.* & ob id ipsum ad efficiendam plenam fidem Judicis alio adminiculo opus est, ut hic jurejurando, & non est novum, ut quæ singula & per se nihil operantur, juncta tamen fiant efficacia *arg. l. 5. l. 6. C. de probat. l. 57. de ritu nupt.* Illud facile conceditur, quod ubi certus testium numerus non tam ad probationem, quam ad substantiam actus alicujus desideratur, teste uno deficiente jurjurando suppletorio locus non fit *l. 12. C. de testam.* Objicitur, quod Judex æstimare debeat, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur *l. 3. §. 2. ff. de testib.* Resp. hæc non impediunt, quo minus Judex ei, qui parum probavit, & cui is ideo non credit, imponat jusjurandum, ut ei credere plene possit. Ulterius argumentantur: Aut probat actor, aut non probat: si prius, actor obtinet causam citra jusjurandum *l. 9. C. de obl. & act.* si posterius, reus absolvitur *l. 4. C. de edend.* Resp. jam anticipatum est, eum qui aliquid probat, sed non plene, non per omnia pari passu ambulare cum eo, qui nihil probat. Deinde *d. l. 4.* diximus non obtinere locum, cum ad delationem juramenti Actor confugit. Tandem opponunt, incurere contradictionem in appposito, qui probationem faciunt semiplenam. Resp. verba non sunt captanda, sed qua mente quid dicatur, animadvertendum *l. pen. ad exhib.* Semiplene probare nobis est probare imperfecte. Est medium aliquid inter rō nihil probare, & probare plene Perez. *Cod. b. n. 23.* Et hanc sententiam praxis approbavit Myning, *1. Obs. 68.* Hart, Hartm. *tit. 25. Obs. 25.* Illud *ἀσὶν πεισθῆναι* adnoto, quod Saxonico jure actor jusjurandum deferre debeat ante litis contestationem, nisi nova quaestio lite jam contestata incidat aut emergat: At reus eodem jure post litis contestationem juramentum recte defert v. Dn. Struv. *exorc. ad n. 17. ib. 32.*

§. XIV. Lite satis cognita & disceptata Judex progreditur ad sententiam pronunciandam, ubi quaeritur: si plures numero sint Judices, & in sententiis dissideant, cuius sententia sit  
*han-*

*standum?* distinguitur: aut sententiæ numero sunt impares, & ea obtinet, in quam plures consentiunt *l. 36. l. 39. de re Jud.* Appianus: ἐστὶ δ' εἴτε χειροτονίας καὶ δίκαις αἰεὶ τὸ πλεονεχέον q. d. *§. in comitiis & in iudiciis semper quod plures statuunt, iustus est.* Licet collegæ qui dissentiunt, dignitate cæteris præcellant *Zaf. ad d. l. 36. n. 15.* quoniam iure suffragiū eandem auctoritatem obtinent; aut sententiæ sunt numero pares, & prævalet quæ Reum absolvit *l. 38. d. 1. de re jud.* Cicer. *pro Cluent.* In consilium erant ituri Iudices triginta & duo: sententiis decem & sex absolutio confici poterat. idque favore Rei obtinuit. Seneca in controversia quadam: *Alter Iudex damnat, alter absolvit: inter dispaes sententias minor vincat.* Idem: *non est invidiosa potestas, qua misericordia vincit.* Nisi causa in iudicium deducta sit favorabilior, veluti libertas *d. l. 38.* quæ rebus omnibus favorabilior est *l. 122. de R. J. §. 34. Inst. de leg.* tunc enim quæ pro eo, qui pro libertate litigat, facit, sententia prævalet, quod lege Junia Petronia provisum *l. 24. de manum. item testamentum l. 10. de inoff. testam.* Nam publice expedit suprema hominum iudicia exitum habere *l. 6. testam. quemadm. aper. dos etiam vel matrimonium l. 70. de jur. dot.* quod iterum limito, si sententia quæ pro reo, aut causa alia favorabili militat, aperte sit iniqua *d. l. 10. de inoff. test.* nec enim beneficia cuiquam tribuenda sunt in alterius injuriam *l. 4. C. de emanc. lib. & in favorabilibus personæ ita sunt adjuvanda, ut ne tamen offendamus iustitiam c. 6. de don. inter V. & U. c. 11. de for. compet.* quia nulli hominum jus suum detrahendum *l. 2. de his, qui sui vel alien. l. 31. §. 1. vers. & probo. depositi.* Cæterum *d. l. 38. adversatur l. 28. eod.* ubi Modestinus pronunciat utramque sententiam in suspensio esse, donec competens. Iudex unam earum comprobaverit. *Resp. alleg. l. 28.* loquitur de iudicibus datis seu pedaneis, qui jurisdictionem non habent, sed nudam notionem *l. 5. h. t. de re jud.* unde merito confirmatio expectanda ab iis, qui eos dederunt, qui etiam sententiam eorum exsequuntur: Hoc etiam



etiam de causa si arbitri, in quos compromissum est, diver-  
sas sententias dixerint, nulla obtinet, & qui in eos compro-  
miserunt, eas contemnent impune *l. 27. §. 3. de recepti. arb.*  
*junct. l. 17. §. 6. eod.* Plane si Judices consentiant in condem-  
nando Reo, discrepent autem in summa pecuniæ, in quam  
condemnant, si quidem sint pares, iidem eorum senten-  
tia vincet, quæ in summam minorem reum condemnat *d.*  
*l. 38. §. 1.*

§. XV. Victum victori Judex condemnat non solum  
in rem petitam, sed etiam in expensas à victore factas, *l.*  
*properandum 13. §. siue autem 6. C. de judic. l. 5. C. de fruct. & lit.*  
*expens.* si modo temere & sine justa causa litigavit *l. 79. de*  
*jud. l. 78. §. 2. de leg. 2. Nov. 82. c. 10. pr.* Id quod non æquali-  
ter metimur ex persona Actoris & Rei; Sed hic quidem to-  
ties justa causa nixus in Judicium progredi censetur, quoti-  
es nullam causam habet, ex qua intelligere possit, rem quæ  
petitur, deberi, aut petitoris esse; Reus enim cum non ul-  
tro veniat in Judicium, sed ad necessariam sui defensionem  
actioni intentatæ exceptionem opponere cogatur *l. 42. de R.*  
*J.* non est ita coarctandus, ut ob metum, ne forte victus in  
expensas condemnetur, cogatur temere Jus suum indefen-  
sum relinquere *l. 40. de petit. hered.* quod verum est si post  
publicatos testes, & exhibita instrumenta, quibus de meri-  
tis causæ & jure actoris constat, à lite desistat: Secus, si li-  
tem injustam prosequi pergat, condemnabitur in expensas  
postea, ex quo de jure actoris cognovit, factas, uti commu-  
niter concludunt Dd. *in d. l. properandum §. 6. de jud.* à quibus  
recedit Decius *ad l. 42. de R. J. n. 8.* quem sequitur Bachov.  
*ad Tr. v. 1. D. 12. ib. 16. lit. d.* qui volunt Reum, qui cognita  
injustitia causæ litigare perseverat, condemnandum in ex-  
pensas totius instantiæ, quoniam eo ipso, quod litem inju-  
stam prosequitur, præsumtionem de se facit, quod etiamsi  
ab initio injustam esse scisset, nihilominus eam in Judi-  
cium fuisset deducturus. Actor tamen haud facile ab ex-  
pensis

E

pensis

pensis excusatur, etsi enim ignoravit Jus sibi litigandi non fuisse, tamen non debuit cuiquam citra gravem causam negocium facere, eumque sumptibus forensibus subicere, in quem Jus nullum habet. Quin actori imputari potest, quod litigaverit re non exactius ante deliberata *d. l. 42.* Et si Donello *lib. 26. Comm. 3.* credimus; nunquam hic ab expensis excusabitur. Sed tamen esse causas quasdam, quæ eum immunem præstant, verius est, quas recensent Menoch. *A. I. Q. lib. 2. Cas. 177.* Umm. *D. ad proc. 22. tb. 8. n. 31.* Atque hæc de iudicio ipso: supersunt pauca quod ad propositum, de eisdem executione.

## CAPVT IV.

*occupatur*

circa

### Prærogativam Reorum quoad executionem iudicii.

*SUMMARIA.*

*Reo condemnato concessa sunt inducia quadrimestres ad solvendum quod iudicatum est n. 1. beneficium restitutionis bonorum n. 2.*

*§. 1.*

**C**ondemnatis certum temporis spatium ad solvendum quod iudicatum est, indultum est, intra quod executio differtur, nec iudicati agi potest, *l. 3. ff. de usur. laxamentum Justinianus vocat l. ult. C. de usur. rei iudic. scilicet tributum hoc tempus Reo est humanitatis gratia, ut prostratus sententia iudicis aliquantum se recolligat, & pecuniam qua iudicato satisfaciat, conquirat arg. *l. 16. §. 1. de compens. l. 71. §. 1. de leg. 1.* incivile quippe visum est. Creditorem ilico postquam iure vicit, venire cum sacco paratum. Neque enim*

nim

nim magnum damnum est in modica temporis mora *l. 21. de Judic.* Tempus illud, quod legitimum dicitur *l. 3. ff. de usur. l. 1. C. de usur. rei jud. l. 4. §. 5. ff. de re judic. & dies constituti intra quos agi non potest l. 7. ff. eod. ex LL. XII. Tabb. fuit 30. dierum ut discimus ex fragmento, quod exhibet Gellius *20. noct. att. c. 1.* postea id constitutionibus Principum in *l. 2. Cod. Theod. de usur. rei jud.* duplicatum, improbatum à Justiniano, in *d. l. ult. de usur. rei jud.* qui quadrimestres inducias primus introduxit. Non tamen favet ista constitutio illis, qui ad certam speciem seu corpus, quod possident, ex contractu v. c. locati, depositi restituendum condemnati sunt *l. 7. C. de exc. rei jud. l. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. pen. C. de pos.* Nulla enim causa est, ob quam hoc illis tribuatur & malitiæ eorum indulgeatur, restituere renuentium, quod in promptu habent *arg. l. 38. de R. V.**


§. II. Fit executio in universa bona condemnati, & in solidum, dum plene credito satisfiat, adeo ut ad peram & faccum usque, quemadmodum loquuntur, debitor executiatur, nihilque ipsi, quod ad victum & cultum corporis pertinet, relinquatur, præter vestem aliquam viliores & pannicularem, qua nuditatem corporis obtegat, & qualis relinqui solet damnatis ad mortem juxta *Jas. in §. ult. Inst. de action. conf. Hottom. ill. qu. 26.* exceptis, quibus ex speciali gratia beneficium competentix tributum est *§. 37. & 38. Inst. eod. l. 16. de re jud.* nisi quid ultro à Creditoribus ex causa misericordix illis relinquatur *l. 6. ff. de cess. bon.* quod usque eo invaluit, ut si excussis debitoris facultatibus necdum satisfactum creditoribus sit, in carcerem conjici queant *l. 1. C. qui bon. ced. poss. l. fin. eod.* Jure duodecim permittebatur Creditori manum injicere judicato debitori, eumque sibi à Prætorè addictum tanquam servum domum abducere, in privatum carcerem & vincula detrudere, vendere etiam, si necdum solvisset, imo quod plus est, potestas erat Creditoribus addictum in partes secare & inter se partiri vid. *Gell. N. A. lib. 20. c. 1.*

E 2

conf.

conf. Rittershuf. *comm. ad LL. 12. tabb. cl. 3. p. 3. c. 11.* Sed juris istius five severitas five crudelitas, uti rariori exemplo exercebatur, & potissimum valebat ad absterrendum eos, quibus tanti est bona sua prodigere, & ari alieno sese immergere, fidemque eo nomine obligatam, cujus Romani fuerant observantissimi, fallere; ita facile ex usu recessit, relictumque solum est, ut in carcerem publicum abducere obaratum debitorem liceat; Sed & hunc effugere Juliae legis beneficio est integram ei, qui bonis cedere vult *l. i. π. C. de cess. bon.* nisi sua se culpa eodem indignum reddat, quod beneficium, quia bonis omnibus quem exiit, flebile adiutorium, it. miserabile auxilium Justinianus *in l. pen. C. ult. C. d. r.* vocat, atque licet cedens eo facto non ita liberetur obligatione actoris, quo minus si postea quid acquisiverit, in id quod residuum est conveniri queat, alio tamen eidem beneficio subventum est, ut in amplius, quam facere potest, conveniri nequeat *§. ult. Inst. de action.* novissime Justinianus *Nov. 153.* beneficium illud cessionis bonorum fere sustulit, quando constituit, ut nemo debitorum, qui modo fortunae iniquitate, non sua culpa facultatibus lapsus sit, etiam si bonis non cesserit, in carcerem abripi, aut simul etiam necessariis ad victum alimentis exui possit, modo ejuret bonam copiam, seu non habere se quo solvat, nec sua culpa ad egestatem redactum. Atque hæc pro Reis in genere differere visum est. Multa sane de possessoribus in specie & commodis eorum dici potuissent: Sed ea hic exequi nec otii, nec instituti nostri erat.

COROL-



## COROLLARIA.

- I. *Non probamus jurandi formam, quam Iustinianus in appendice Novell. 8. concepit per sanctam gloriosam DEI genitricem & semper Virginem Mariam, & per Sanctos Archangelos Michaëlem & Gabrielem; Nobis fixum animo sedet per solum Deum esse jurandum Deut. 6. v. 13. & 10. v. 20. Esai 19. v. 18. & 65. v. 16. Jer. 5. v. 7.*
- II. *Pariter quod in fin. princ. l. 1. C. de off. Præf. Præt. Afr. precibus sanctæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ adjuvari se apud Deum credit, in eo decipitur Imperator cetera pientissimus.*
- III. *Nec adeo commode Impp. Valent. Theod. & Arcad. in l. 7. C. de Feriis, Apostolicam passionem totius Christianitatis Magistram vocant.*
- IV. *Pontifex c. significante 7. de pign. legem commif-*


*missoriam pactum legis commissoriae vocat.*  
*axueos.*

- V. *Non ferimus hodie Judicem, qui in causa dubia velit pronunciare sibi non liquere.*
- VI. *Qui pecuniam mutuam dat aleatori, ad repetendum conditionem non habet.*
- VII. *Quod ludendo amittitur, nulla actione peti potest; Et si solutum sit, repeti secundum prudentiam Justinianeam.*
- VIII. *Fallunt, qui Jeremiam c. 43, v. 12. alludere dicunt ad morem investiendi Feudalem.*

F I N I S.









ULB Halle  
004 758 625

3




*Sl*

*VJ 17*







8.  
C. D. 1686, 22<sup>le</sup> 7  
Pr. 10. num. 2. #3

DE  
REORVM  
PRAEROGATIVA  
IN CAVSIS CIVILIBVS,

Oder:  
Von dem Vorzug derer Beflagten / vor  
den Kläger / in Bürgerlichen Fällen.

PRAESIDE  
PETRO MVLLERO, JCTO,  
PAND. PROF. PVBL.

AD D. OCTOBRIS CLO IO CLXXXVI.  
PVBLICE DISPVTABIT

JOH. LEONHARDVS Lokhede/  
VVEISSENBVRGO - NORICVS.  
EDITIO II.

I E N A E,  
TYPIS IOANNIS BERNARDI HELLERI.  
clo lo cc xxii.

